



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

Epiphania. 6. Januarii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

EPIPHANIA.

6. Januarii.

*Invenērunt Puerum cum Maria
Matre ejus, & procidentes adora-
verunt eum. & apertis thesauris
obtulerunt ei munera, Aurum
Thus. & Myrrham. S. Matth. cap. 2.*

Salutaverant jam nuper, inter faustas ac
Sclamationes & cantus festivos, Principem
cum cœlo delapsi cives, aulamque Nati Re-
gis quotidie deinceps frequentabant. Sed &
Orcus rebellis hucusque metu jam suo ve-
nerabatur. Feræ ipsæ Dominum suum sup-
plices agnoverant, ut jam aliud nil restaret,
quàm ut terra etiam officium suum faceret.
Ergo, ut ad exemplum Regum Orbis univer-
sus se componeret, tres è regnis suis exciti
Magi magnis itineribus Bethlemium con-
tendunt, Sacramentum Christo nato omni-
um nomine dicturi. Atque ut ne aberrarent,
placuit Superis, ducem Stellam dare & fallere
& falli nesciam. Ita Hierosolymam ventum
seduloque in Novi Regis cunabula inquisi-

tum. At Herodes in regno suo alium præter
 se Regem ullum quæri indignatus, barbarâ
 animo jam tum concepit consilia, mox san-
 guinem, neces, orbâsque Matres paritura.
 Aulicis tamen artibus apprimè instructus, do-
 los dolis texit, & ut noceret, amare se finxit,
 ut perimeret, adoraturum se hostem etiam
 ipse promisit. Sub hæc à Magis, sidere iterum
 Antambulone, Bethlemium perventum.
 Ibi confidens Stella, velut adventum gratu-
 latura, hospites Reges è tecto salutavit. Ex-
 templo ingrediuntur, Regumque Regem in
 throno suo, Præsepi, Sapientiam in infante,
 in homine Deum adorant: Addunt deinde
 tributa, opes peregrinas, Aurum, Thus, Myr-
 rham. Inde viam aliam in regna avita Dux
 somnus dormientibus ostendit: sed sicidem
 hic vigilantem Herodem delusit.

EX HIST. EVANG.

MEDITATIO

In tria Regum munera.

1. **O**btulerunt Jesu Myrrham in honorem sacræ
 ejus humanitatis. Jesus, propter suum in
 nos amorem, corpus, nostris simillimum assumpsit.
 Ut quid non redamamus dominum, ipsique corpo-
 ra nostra non consecramus? Tuum est, amantissi-
 me

me Jesu, corpus meum; ex te pendet ejus sanitas & morbus; ex te vita & mors. Me felicem! si possem tecum pati, nam tecum regnarem. *Totum me liberaſti, ut totum me poſideres.* Aug.

2. Humanitati JESU accedit Regalis dignitas, ideoque aurum illi offertur, Quæ habemus bona, ea nobis dedit; iis itaque utamur ad ejus gloriam, ad altarium ornatum, & pauperum solatium. In pauperibus Deum videamus. Reges vident in præsepio infantem, pauperem illum quidem, & ab omnibus derelictum, eum tamen ut Regem, & Deum venerantur. Si pauper es, offer Jesu tuam paupertatem, donum hoc præstabit omnibus mundi Theſauris.

3. Oblato demum Thure clarius demonstrarunt agnoscere se divinitatem JESU. Thus tuum sit oratio tua. Ad JESU pedes provolutus, offer suavissimo illi Pueri animæ tuæ facultates. Adora, time. Sed hoc præsertim memineris, aliâ viâ Reges rediisse; pariter & tu aliam in eas vivendi rationem, & ubi viam Christi ingressus fueris, ab eâ ne declines. *Via enim immutatio, vita intelligitur mutatio.* Euf, Emil

S. LUCIANVS.

7. Januarii.

Recedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus. Christus, S. Matth. cap. 25